



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Præfatio Ad filios suos teneros & Nouitios.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

## PRÆFATIO

Ad filios suos teneros &amp; Nouitios.



NON ignoratis, Fratres ac filij in Deo & Deipara dilectissimi, quàm assiduis precibus sollicitisque apud me institeritis, ut immortalis memoria F. nostri

VVILHELMI (de quo sapiùs vobis modo cohortatorio multa non sine animorum admiratione ac emollitione enarraui) facta præclara, vitamq; ut austeram, ita innocentiam conspicuam, calamo tandem persequi, ac in vestrum saltem emolumentum, vel breui descriptione perstringere non grauarer. Quod opus etsi diu ultrò, nescio qua occulta amoris vi in VVILHELMVM incitatus, molitus fuerim: hætenus tamen semper negotiorum (quæ vobis non ignorantur) multitudo, & varia variarum rerum administratio, impedimento fuere, quò minùs iustis mei iuxta ac vestri animi votis satisfacere moremq; gerere potuerim. Nunc quale quale tempus nactus, rem etiam arduam ulterius procrastinandam, nulla ratione dubitavi; sed manum, licet imbecillum, vacillantem, & alijs pluribus adhuc prægravatam, operi admonendam duxi, ut VVILHELMII supradicti Iuuenis vitæ sanctitate & morum suauitate integerrimi acta pro argumento

B 5

huius

huius scriptiois assumens, vobis mihiq̄, gratificarer: idq̄, ea maximè de causa, quòd noua, & quæ nostro contigerunt tempore, numquam non gratiora sint, & plus moueant, maiusq̄ pondus apud tyrones, quin etiam veteranos, in militia spirituali ad animos commouendos & quocumque velis inflectendos habeant. Nunc autem non solum nostra ætate viuentem, qui nobiscum superstites adhuc degunt (ut scitis ipsi) videre, sed ex ijs aliqui Magistri in literis ac ductores in via spirituali eidem esse digni habiti sunt, ipseq̄, annis primùm abhinc aliquot supra viginti corporis ergastulo solutus, gloriosa morte defunctus, immortalẽ in calis gloriam recepit. Adeste igitur Fratres, & vestri Commilitonis facta non tam encomijs concinnè extolentis, quàm simplici stilo vitæ decursum & innocentiam breuiter percurrentis orationem diligenti studio euoluite, alta mente reponite, ut inde vobis vitæ normam componentes, qui in eodem cum illo stadio decurritis, eadem etiam cum illo contentione ad virtutem ac religiosam perfectionem, & brauium denique, grassari animosè contendatis.

Vester deuotus ductor & sollicitus Magister

F. Martinus Mertz,